SYNODUS DIOECESANA

SANCTÆ BENEVENTANÆ ECCLESIÆ

Ab Eminentissimo, et Reverendissimo Domino

JOANNE BAPTISTA

MISERATIONE DIVINA TIT. S. PANCRATII

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

BUSSI

ARCHIEPISCOPO.

Celebrata juxta antiquum ejusdem Ecclesiæ morem die 24. Augusti 1828.







BENEVENTI MDCCCXXVIII.

Apud Gregorium Paternò Typographum Cameralem.

JOANNES BAPTISTA
MISERATIONE DIVINA
TIT. S. PANCRATII S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS BUSSI
S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ BENEVENTANÆ
ARCHIEPISCOPUS.

Decretum de Synodi aperitione.

In Nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Scriptum est, dilectissimi: nil sub sole novum, et ipsa, quae nunc conspicimus mala, eadem majores nostri, et faediora fortasse conspexerunt. Concupiscentia namque carnis humanae naturae insita, velut aquae torrens, e circumscriptis limitibus continuo conatur deflectere, et ubi ad illius cohibendam vim debiliora reperit impedimenta, erumpit proculdubio: illam proinde aliis atque aliis opus est repaculis continere. Sollicite profecto occurrere debent Rectores animarum, ne virtuti praevaleat vitium: Si vero quavis ex causa contrarium contingere noverimus, operam demus oportet ut rerum ordo ad pristinum prorsus reducatur; ea certe media adhibendo, quae ad optatum finem rem perduxisse, experientia docemur.

Gravissima mala, venerabiles Presbyteri, inficiari nequit, quin hisce temporibus gregi ingruant, quae singillatim enumerare supervacaneum ducimus. Cum nostra intersit illa pro viribus radicitus extirpare, non valemus sane aptiora media proponere quam ea, quibus Praedecessores nostri summa prudentia ac doctrina praediti sunt feliciter usi. Vestrum erit omne studium, ope-

ram , et diligentiam in eo ponere, ut leges, quae in hac Synodo collatis consiliis sanciuntur ab omnibus Christifidelibus observentur.

Quapropter quartam nostram Dioecesanam Synodum hac ipsa die 24. Augusti ad Omnipotentis Dei, et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, Beatissimae Deiperae, S. Michaelis Archangeli, B. Apostoli Bartholomaei. SS. Pontificum nostrorum Januarii, et Barbati, SS. Dominici, et Philippi Nerii Confessorum, caeterorumque nostrae Civitatis Sanctorum Patronorum, aliorumque Sanctorum gloriam, honorem, et laudem apertam esse, ac inceptam volumus, decernimus, ac promulgamus.

TITULUS I.

De Confirmatione Synodorum usque modò celebratarum.

Dioecesanas Synodos per Nos, et a Praedecessoribus nostris sancte, et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, quae his decretis non repugnent, confirmamus et ab omnibus, ad quos spectat observari mandamus sub poenis in illis statutis, et comminatis.

TITULUS II.

De Summa Trinitate, et fide Catholica.

Veri Dei cognitio, obsequium, et cultus primum est totius Religionis, ac Christianae vitae fundamentum: „ *accedentes enim ad Deum oportet credere, quia* „ *est, et inquirentibus se remunerator sit.* „ Quae vero hac de re fides Catholica tradit, quaedam explicita cognitione firmiter tenenda sunt necessitate *praecepti*; nonnulla vero ea necessitate, quam *medii* Theologi tradunt, ita ut ratione praediti si ista etiam inculpabiliter omittant, salutem aeternam consequi nullo modo valeant.

Laudandi quidem sunt Parrochi, qui de utrisque fideles assidue erudiunt, nec omnino damnandi, qui

saltem ad imbuendos pueros praecipuis fidei mysteriis omne studium, ac diligentiam conferant: deflemus tantummodo socordiam nonnullorum, qui velut mercenarii, oves sibi commissas luporum voracitati ac praedae relinqunt, dum eas Sanctissimae Trinitatis, Incarnationis, et caetera Redemptionis mysteria; imo ipsam Dei existentiam ignorare patiuntur. Enim vero quid credendum, quid agendum christifidelibus sit, quisque debet perfecte scire, maxime quidem Deum unum esse in substantia, et trinum in personis; Crucis beneficium, et praemium inde sperandum, ac poenas pertimescendas. Cum de gravissimo negotio aeternae felicitatis peragatur, Parochi se ipsos non decipiant dum satis esse putant, pueros expectasse ad valvas Ecclesiae, et ad aliam non teneri diligentiam, ut ii Paraeciis intersint designatis diebus, pro explanatione rudimentorum fidei; et ubi opus sit parentes eorum admoneant, hortentur, et increpent, ac pueros ipsos per domos, ac vias quaerant ad instar boni Pastoris qui per valles, montes, et campos quaesivit solicitus ovem errantem.

Praecipimus autem, ut ea, quae de doctrina christiana pueris tradenda Praedecessores nostri constituerunt, unusquisque retineat; videlicet ut non solum dominicis singulis, verum etiam quibuslibet festivis diebus de praecepto in Parochialibus Civitatis, et Dioecesis, una non minus hora post prandium, pueros doceat Christianam doctrinam.

Item iisdem dominicis, ac festivis diebus Parochi post lectum Evangelium, et non alias inter Missarum solemnia ad populum conversi, alta voce vernaculo idiomate, universo populo respondente, sequentia recitent: 1. Signum S. Crucis: quo omnibus signatis immediate explicent Sanctissimae Trinitatis, ac Incarnationis mysteria: 2. Orationem Dominicam: 3. Salutationem Angelicam: 4. Apostolorum Symbolum; 5. Decem praecepta Decalogi: 6. Quinque praecepta Ecclesiae: 7. Septem Sacramenta. Haec eadem praestabunt etiam simplices Sacerdotes diebus festivis cele-

braturi in ruralibus Capellis, ad illorum commoditatem, qui fidei mysteria et ejusdem rudimenta prorsus ignorant, et discere erubescunt. Paena vero suspensionis punientur Parochi, et Presbyteri, si ab instituto per quinque vices defecerint absque legitima causa.

Praeterea animadvertant omnes, qui animarum curae sunt praepositi, fel. recordat. Cardinalem Ursini in prima Synodo cap. 2. Ingressum Ecclesiae interdixisse parentibus, et dominis, qui per quinque vices filios suos, suosque famulos ad Christianam doctrinam addiscendam mittere neglexissent.

Optamus denique, ut Parochi curam omnem adhibeant, ut mulieres spectatae vitae, ac morum in informandis christiana lege puellis operam suam navent; quo munere quae pie, ac diligenter funguntur, amplissimos fructus nempe SS. Pontificum plurimas indulgentias lucraturas sibi persuadeant.

TITULUS III.

De maledicto, seu blasphemia.

Viri et mulieres, adulti et parvuli, insane hodie verba in Deum contumeliosa pronuntiare non perhorrescunt: tribuendum id sane videtur crassae ipsorum ignorationi, quam horrendum sit hoc facinus, quantaque poena dignum, cum divinam non vereantur maledictis impetere majestatem. Nulla enim occurrit causa, cur Deus, a quo bona cuncta in vita suscipimus, conviciis oneretur „ *annis*, *quibus perditi isti homines* „ sic de blasphemis Divus querebatur Policarpus „ *Deo ministrarunt*, *qua injuria eos affecit? et quomodo* „ *possunt loqui adversus Dominum suum*, *auctoremque* „ *salutis eorum?* Quare si blasphemiae execrabilis malitia, et in blasphemos inflictae paenae tam divinae, quam humanae dilucide juxta captum plebis exponerentur, nisi omnino auferantur, saltem notabilis illarum imminutio in dies videretur.

Volumus propterea, ut Parochi et verbi Dei Prae-

cones Populum alloquentes frequenter sermonem instituant de malitia blasphemiae, et horribilibus Divinae indignationis propositis exemplis, quibus saepe Deus etiam in blasphemos acerrime animadvertit in hac vita, a tali nefario crimine christifideles studeant deterrere. Insuper instruant plebem, quibus poenis puniantur blasphemi legibus tam Ecclesiasticis, quam Civilibus.

Confessarii vero antequam absolvant poenitentes tanti peccati reos; prae oculis habeant, Concilium Lateranense v. sess. IX. praescripsisse: „ *ut in foro poe-* „ *nitentiæ nemo blasphemiæ reus absque gravissima* „ *severi Confessarii arbitrio injuncta pœnitentia pos-* „ *sit absolvi.* „

Quod si haec non sufficiant ad talium perditorum hominum coercendam audaciam, denuncientur ii ad Parochum, vel Curiam nostram Archiepiscopalem, ut implorari possit in locis Regni brachium saeculare, pro punitione juxta saluberrimam legem nuper promulgatam a Religiosissimo, et Serenissimo Regni utriusque Siciliae Rege; Idque eo magis, quia S. Pius v. constitut. *Cum primum* renovans quod per Leonem X. decretum fuerat, voluit, ut qui audierit blasphemias pronunciare, tenerentur acriter arguere verbis, dummodo sine suo periculo fieri poterit, blasphemum, et deinde eum, si non fuerit emendatus, denunciare judici Ecclesiastico: Talibus vero delatoribus, vel potius Divini honoris zelatoribus, concessit laudatus Pontifex Indulgentiam decem annorum.

T I T U L U S I V.

De Festorum Celebratione.

Dies festivos Apostolica traditione, et Ecclesiasticis legibus institutos Fideles reliquis curis, ac negotiis vacui transigant, ut Deo, et Religionis officiis diligenter vacare possint. Valde enim rationi consentaneum, certis quibusdam diebus Deum Optimum Maximum, a quo bona cuncta procedunt, cognoscere, co-

lere, ac venerari: unde dies festos non sanctificare ad impietatem refertur, et qui illos contemnunt, Divinae indignationis experiuntur effectus, ut per Ezechielem minatur Deus: „ *Sabbata mea violaverunt vehementer, dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos, et consumerem eos.* „ Quamobrem necesse est ut indictae ex divinis Oraculis adversus violatores dierum festorum punitiones repraesententur; Patresquefamilias sollicite admoneantur, ne filii, ac domestici ludis, comessationibus, et ebrietatibus, aut servilibus vacent operibus, sed potius dent operam, ut Missae SS. Sacrificio debita reverentia, et attentione adsint, cathechesim audiant, et ad coeteras pietatis exercitationes incumbant. Proinde Parochi, et Confessarii studeant assidue hujus praecepti debitum, et illud implendi modum inculcare, quamque severe in hac vita mulctaverit Deus profanatores dierum festorum uti manifestum fit ex veteris, et novae legis historia.

Cum laudatus utriusque Siciliae Rex in id etiam suae Religionis manifesta argumenta praestiterit, statuens poenas temporales in suos subditos, qui dies festos contemnerent; Vicarii Foranei, et Parochi, si postquam serio admonuerint, contumaces cognoverint hujusmodi festorum profanatores, non dubitent implorare auxilium brachii soecularis, ut ex illorum animadversione reliqui quoque terreantur.

Insuper coercitionis remedium adhibeant in patresfamilias, qui etiam filios, vel domesticos festum non sanctificare permittunt: Scriptura namque ipsos id etiam prohibet, ut in Exod. Cap. 20. v. 10. „ *Non facies* „ *omne opus in eo tu, et filius tuus, et filia tua,* „ *servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas.* „

Demum admoneantur Fideles, dies festos non tantum abstinentia ab operibus servilibus, et SS. Missae auditione Sacrificii celebrari, sed etiam curandum esse, ut Deo omnis cultus exhibeatur, et ab omni peccati labe caveatur.

TITULUS V.

De Poenitentiae Sacramento.

Dum Confirmationis Sacramentum per diaecesim administrabamus, multi octo, decem, duodecim et plurium annorum oblati sunt S. Chrismate iungendi, de quibus mirati sumus, quod nunquam Sacerdoti peccata sua confessi fuissent. Falleret sane eos opinio, qui existimarent, praeceptum Concilii Lateranensis IV. confitendi semel saltem in anno, ante pubertatem non obligare, nequit enim inficiari mortaliter etiam peccari posse sub annum nonum, vel decimum, et ante id temporis. Quae cum ita sint, Parochi, sicut in praeceptum paschalis Communionis, ita aeque diligenter incumbant ad annalem puerorum doli capacium confessionem, qui videlicet post septennium aliquo saltem modo Deum offendi per hoc vel illud cognoscere videantur: Confessariorum autem erit judicium ferre utrum absolutionem mereantur, eamque certe denegare non debent, quando necessaria praebeant ad illam obtinendam.

Ex multorum querimoniis, quod infirmi saepe e vita inconfessi, vel ad transitum non dispositi aliis spiritualibus auxiliis decedant, ea praetermitti cognovimus, quae salubriter sancita sunt per can. „ *cum infirmitas de* „ *poenit. et remis. ac* per S. Pium V. Bulla *super gre-* „ *gem* renovata, illis verbis: *ne Medicus incipiat cu-* „ *rare infirmum, nisi eum moneat de confessione fa-* „ *cienda; neque ultra tres dies eum invisat, nisi scripto* „ *Confessarii resciat eum esse confessum.* „ Monemus hinc Medicos, et a Parochis etiam atque etiam moneantur, sub gravi ipsis parendum esse Ecclesiae mandatis; et caveant deinceps, ne sua culpa infirmi aeternam damnationem incurrant, quia tempore idoneo non admoniti, vel non confessi vel praepropere confessi moriuntur.

TITULUS VI.

De vita, et honestate Clericorum.

Postremo in hac etiam quarta Synodo aliqua de vita, et honestate Clericorum verba facere pro pastorali sollicitudine nostrum esse judicamus. Cujus rei occasionem praebent nonnulli, qui constitutionibus alibi sancitis inobbedientes effecerunt, ut ad nostras aures, de ipsis querelae a Dioecesanis, et ab esteris perferentur.

In genere quidem quidquid de Ecclesiasticorum vivendi ratione, et de conversandi circumspectione, praesertim cum mulieribus alias statutum est, renovamus, ac confirmamus. Omnibus autem Ecclesiasticis in memoriam revocamus obligationem abstinendi a ludis, conviviis, spectaculis, et aliis soeculi oblectamentis, ut quemadmodum decet Ministros Dei vivi (sic Epistola Encyclica S. Congreg. Episcopor., et Regular. 3. nonas Augusti hujus anni jussu Summi Regnantis Pontificis data ad omnes Episcopos Status Ecclesiastici) procul a theatris et publicis clamoribus, illam a populo christiano reverentiam exigant, quam sacer eorum character, et sublimis dignitas promeretur, ac illorum verba vere sal terrae et sint, et habeantur.

Reprobatur quocirca vituperabile illud vestiendi genus, quo quidam clerici nostrae Dioecesis, quae coeteris semper fuit exemplar, et laus, in alioenis Dioecesibus vulgi scandalo usi sunt. Pluries laudata Regni utriusque Siciliae Majestas hac etiam de re leges tulit idque in Synodis, et aliis occasionibus per Nos iterum atque iterum vetitum est; audent nihilominus nonnulli in hanc ipsam Civitatem descendere vestibus induti clericali statu prorsus indignis: unde eadem, quae super honestate habitus alias jussa sunt, denuo jubemus. Eos vero, qui ad hanc usque civitatem indecenter et soecularium more incedere posthac prae-

sumpserint, statim ad nostram Curiam per publicos satellites traduci mandabimus, et severissime punietur. Item ad viciniores Episcopos quamprimum literas daturi in Domino cohortabimur, ut ad nos referant nomen ejus clerici, qui in vestibus scandalum suis Dioecesibus praebuerit, et in eos agemus juxta canones Ecclesiae, et Synodales sanctiones.

Sed omnia, quae commemoramus, a spiritus Ecclesiastici gradibus, veluti a fonte rivuli, manare, in dubium verti nequit. Quod si ita est, pro animarum suarum salute hortamur clericos, ut toto conatu ad bonum spiritum sibi efformandum accurate incumbant. Emundent idcirco animas suas frequenti, videlicet, bis saltem in mense (quod esset octavo quoque die exigendum) culparum suarum confessione; praeterea quotidiana veritatum aeternarum meditatione leves etiam defectus evitent; meditatio namque plurimum valet non solum ad removendos clericos a peccatis, et a creaturarum amore, sed ad eos in Deum convertendos, et accendendam ipsorum charitatem, ut Psalmista ait. ps. 38. „ *in meditatione mea exardescet ignis.*

TITULUS VII.

De iis, quae ad universas constitutiones pertinent.

Omnes, ad quos spectat, pro ea parte, quae singulos tangit, praecipimus ut suam quisque obligationem agnoscat, praecipue Canonici, et alii de nostro Capitulo, vel Collegiatarum Ecclesiarum, et Parochi, et Archipresbyteri, et beneficia obtinentes, omnesque etiam clerici pro eo, quod ad vitam, et honestatem clericorum pertinet infra mensem, postquam impressa fuerit haec nostra Synodus, ejus exemplum penes se habere teneantur sub poena arbitrio nostro infligenda. Mandamus praeterea, ut in qualibet conferentia casuum conscientiae, et SS. Rituum habenda in singulis locis Dioecesis juxta Synodales constitutiones, legatur, et explicetur per Praefectum dictarum con-

ferentiarum unus saltem titulus tam hujus, quam nostrarum praecedentium Synodorum.

FINIS.

Judices et Examinatores Synodales confirmati sunt omnes præcedentibus annis electi.

Et insuper adjecti sequentes Examinatores Synodales.

Admod. Rev. Dominus Canonicus Innocentius Betti Sacerdos Mission. Archiconfrat. sub tit. Prætiosissimi Sanguinis.

Multum Rever. Dominus Cyriacus Rossi Archipræsbyter S. Mariæ Ingrisonis, ac Vic. For.

Ex Clero Regulari


Rev. P. Andreas Lieskovski Lector S. Theolog. *Moralis in Collegio Societatis Jesu hujus Civitatis.*

In Synodis autem Litaniarum habitis mense Octobris inter Synodales Examinatores adscriptus fuit.

Rmus Dominus Vincentius Orefice Utriusque Juris Doctor, ac Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Vicarius Generalis.

JOANNES BAPTISTA CARD. ARCHIEPISCOPUS.





Paschalis Canonicus Ventura Synodi Secret.